venis est praestantissimo ingenio, qui si meis consiliis regeretur, non mansitaret Duisburgi inglorius, sed aut in luce patriae cum laude versaretur, aut studiis gravioribus destinatus exerceret ingenium in aliqua celebri Academia, sed sic nihil licet me apud ipsum consulere, ad matrem tuam nuper literas dedi, nunc eam cum tua conjuge videsti et suavi sobole, scentula, benigne officioseque salutabis, Henricum item et Jacobum fratrem tuum, et Verheijdium, et Vossium et Godefridum, et reliquos propinquos, quibus me nosti carum esse. Michiel Wachmanus postquam ad suos reversus est, nihil scripsit, puer erat non male nec inhabili ingenio, sed audiemus jam seidem a patre seorsum destinari literis, hoc eum negligentem et ineruditum fecit. Parentes et filium ex me salutabis. Vale. Decimo Calendas Octobris 1566.

Amicus certus
Johannes Molanus.

81.)

M. Joste Laurens Antwerpiae

Pax Christi.

[Ameria. M. N. 153]

Dilecte frater expostulavi nuper cum amico communi Reginaldo, viro sane optimo, quod in tanta silva rerum scribendarum nemo mihi quicquam nunciaret. Itaque hoc argumentum omitto. Heri Petrus Wal[illegible] copiose declaravit, quo loco isthic sitis, non desinam gratias agere divinae bonitati et clementiae pro tam inenarrabili beneficio doctrinae purioris, per universam patriam nostram propagatae. Ante annos 30. cum gustum aliquem veritatis spiritus sanctus in lectione scripturae mihi suaviter exhibuisset, hoc votum inhaesit animo meo. Neque interea expleri potuit, scilicet ut priusquam ex hac vita discederem, alia religio et alii mores in patria instituerentur, cujus quum me nunc Dominus compotem aliquo certe [illegible] effecerit, tam grato animo hanc ejus beneficentiam sum amplexus, ut certum sit hoc quicquid reliquum est vergentis vitae id totum alacriter promptèque ipsius servitio impendere, et quibuscunque pos-

sim rationibus esse magnum et memorabile facinus am-
plificare. Liceat enim hoc nomine uti mihi in hoc tam
insperato, tam inaudito, cui neque superior historia quid-
quam habet conferendum, et posteritas, si quae erit,
in utramque partem varie exagitabit, quod etiam
nunc malignitatis dentes non potest effugere. Ac-
ris hic mihi fuit concertatio cum iis, qui rerum
factarum non sunt ignari, dum hoc factum Dei
conor asserere ab iis sceleribus, quae hostis ille
veritatis diabolus per suos emissarios aspersit, non
solum ut fama Dei male audiret, verum etiam ut
pii, quorum opera hae res maxime geruntur, in
mille pericula pertractis omnia sursum deorsum
verterentur. Narrant sane, qui isthinc redeunt, quae-
dam facta petulantius. Sed quis potest tot manibus ita
moderari, ut omnia faciant ex praescripto? Populus
etiam optime institutus multorum capitum bellua est,
quae neque frenari potest neque rationibus compesci. Itaque
hoc mihi videtur esse singulari quadam benignitate
Dei factum et providentia, quod ille populi furor r-
quiescat tot atrocibus tot annorum suppliciis patien-
tia tandem exacerbatus, in signa et mortuos lapides
desaeviit potius quam in ipsos homicidas, quorum im-
manitas jampridem omnem modum transcendit. Sed
unde in hoc argumentum incidi? Volebam de filiolo
Philippo percontari: quid agat? quid accepisti be-
ris? num huc eum velis ad me mittere, an alio trans-
ferre? Quo ingenio puer sit, quantumque promoverit
ipse indicabis, dum memineris (quod est apud
Quintilianum) fundamenta institutionis, in quibus
plurimum laborandum est, latere; fastigia tan-
tum spectari. Itaque nihil magnae laudis his pri-
mis annis consequi potuit, quodque nondum dedisti ad
spectandum aliquam ex aedificatione. Effeci tamen
(nisi fallor) ut intelligat aequus aestimator, tum in
literis, tum in pietate neque fidem mihi neque
diligentiam defuisse. Hunc mensem proximum
Deo volente hic totum commorabimur. Nam

ante triduum mihi nunciatum est Romae de scriptis
nostris nihil hactenus remissum esse. Habeo hic adole-
scentes octo, quibus informandis me privatim exerceo.
Scribe quo loco sint res in Flandria et quid de te tuis-
que constitueris. Vale. 10. Cal. octob. 1666.

Amicus et frater
Johannes Molang.
Duisburgi:

82.) Gulielmo Rockelfingero, discipulo,
commoranti apud Matth. Wetman
Dusseldorpii

Pax Christi.

Credo vos ex Doctore Lithodio rescisse me esse Duis-
burgi. Commoratus hic sum, jam dies 16. sed quos mi-
hi ad animi relaxationem sumpseram, eos ferè
in morbo consumpsi. Nunc tamen Christi bene-
ficio et Doctoris fide paulatim ad me redeo,
et ita confirmor, ut pueros nostros decem, et
amicis epistolam mittam. Non tamen adeò firmus
sum adhuc, ut isthuc venire audeam. Si Stepha-
nulum volet mater mittere, ego hunc mensem
(utpote) hic haereo, partim soceri consuetudi-
ne me oblectans, partim meorum familiarium
institutione. Adduxi meum huc adveniens Hen-
ricum Lindmerum, aequalem tuum, eum porrò hinc
viatico et literis instructum, ablegavimus Heidel-
bergam. Spero te quoque propediem eodem esse itu-
rum, nisi tibi ex usu putabis esse hanc hyemem
Dusseldorpii cum Thoma nostro exerceri. Ple-
rasque scholas Germaniae, suo magna licentia corru-
ptas esse. Heidelbergae aiunt, majorem libera-
tionem esse integraeque nisi istic esse juventu-
tis. Attamen quoque [illegible] in fines [illegible]
turpia et tristia naufragiorum exempla. Tuae
piissimae parenti curae erit (scio) et tibi, ut quam
optimis te adjungas. Ego sicut egregiè carum te
habeo, ita magnopere te hortor, ut pergas tui
quam simillimus, hoc est, doctrinae simul et hone-

[= Mscr. a. 7: N. 154]